

B. 25.

ORATIO PANEGYRICA,
QUA
SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO,
DOMINO
F R I D E R I C O
W I L H E L M O ,
REGNI BORVSSIAE HEREDI,
MARCHIONI BRANENBVRGICO , ITI-
DEMQUE, QVI EIVS GENTIS EST, ELECTORATVS, ET SV-
PREMI ARAVSIENSIS PRINCIPATVS HEREDI, DVCI MAGDE-
BVRGI, CLIVIAE, IVLIACI, MONTIVM, STETINI, POMERANIAE,
CASSVBIORVM, VINIDORVM, ET IN SILESTIA CROSNAE, BVRG-
GRAVIO NORIMBERGENSI, PRINCIPI HALBERSTADII, MINDAE,
CAMINI, COMITI HOHENZOLLERAE, MARCAE, RAVENSBER-
GAE, LINGAE, MEVRSAE, BVRAE ET LEERDAMI , MAR-
CHIONI VEERAЕ ET VLissingae, DYNASTAE IN
RAVENSTEIN, LAVENBVRG, BVTOW, ARLAY
ET BREDA, CETERA,
PRINCIPI IVVENTVTIS,
ACADEMIAE FRIDERICIANAE
RECTORI MAGNIFICENTISSIMO,
ET CLEMENTISSIMO DOMINO,
PVBLICO EIVSDEM ACADEMIAE NOMINE
D E N A T A L I X V
FELICI SIDERE XV AVGVSTI CICIOCCII
EXORTO,
SVBIECTISSIMA DEMISSISSIMAQUE DEVOTIONE
GRATVLATVS EST
IOHANNES CASPAR KÖNIGK,
ZEHDENICENSIS MARCHICVS.



Typis CHRISTOPH. ANDREAE ZEITLERI, ACAD. TYPOGR.

ORATIO PANEGYRICA.

SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO
DOMINO

FRIEDE RICO

ALHEIMO

REGI BORGASSAE HEREDI

MARCHIONI SINDICAROCCO ITI.

PROVINCIAE ET CIVITATIS FESTIVITATIS ETAS.

PRIMA AVVOCANZA PRINCIPIAZ NECCIO DACT MAGNE

HABET DUCALIA LUXEMBOURGIANA STUTTGARTIANA

CAROLI BRABANTIANI ET IN TERRA CROWNE BARC

CECILIO NORWICHIEN, PRINCIPESSE AD MUNICHEN

CEMILL COMITI HONORIUS ET MARCE KAVISTER

QVI, LIMOGES, MELVILLE, HARVE ET DUNSTONI MAR

QD, VILLEFRANCHE ET AVIGNON, DYNASTATE IN

BATTAGLIA TAVANNAS, AYTON, TRELAW

BRUNSWICK, LÜNEBURG, LIPSI

ACADEMIA ET KIRCHENKIRCHE

REGIORI WIGANDIENSI SIMO

ET CLOTHESIENSI DOMINI NOSTRI

TRIUMPHALIS DESSAU, WISMAR, DEVENTONI

QD, VILLEFRANCHE TUR

DRAKETTIA ET

JOHANNES CASPAR KÖNIG

ET HEDVIGE EMMER WOLFGANG

ET ALIO



Tage CHRISTOPH ANDEKE SELIGER VGD 1400



GRATVLATIO
IN NATALI DECIMO QVINTO
SERENISSIMI IVVENTVTIS PRINCIPIS

FRIDERICI WILHELMI,
REGNI BORVSSICI ET ELECTORATVS BRAN-
DENBVRGICI HEREDIS, CETERA.



Vnc quoque bona verba di-
cenda sunt, Auditores, & feli-
cis ominis omnia peragenda.
Illuxit enim hodie auspicatissi-
mus dies, qui nobis signum ad bene speran-
dum extollit: Serenissimi IVVENTVTIS
PRINCIPIS, Heredis Regni Borussici &
Electoratus Brandenburgensis, cetera,
DOMINI nostri clementissimi, & huius
FRIDERICIANAE Academiæ RECTO-
RIS MAGNIFICENTISSIMI; tanti,
inquam, Principis & Spei publicæ natalis ho-
die illuxit, dies non minori religione ac cæ-

A rimo-

ri moniis, quam quibus nuper natalem Se-
renissimi potentissimique REGIS ac PA-
RENTIS, DOMINI nostri multo indul-
gentissimi, transegimus, colendus quoque
& deuote celebrandus. Quanti enim no-
bis salus REGIS ac PATRIAE PATRIS
esse debet, id est semper maximi facienda:
tanta etiam sit PRINCIPIS IVVEN-
TVTIS salus, quae salutem nostram, ma-
nament ex REGIS felicitate, sic nunc in
Serenissimo PARENTE conseruat, vt
aliquando ad seram posteritatem proferet,
ac in futura propagabit tempora. Omnes
cogitare & intelligere potestis, splendidissi-
mi Auditores, quanto amore & quam te-
nerrimo affectu hunc FILIVM, quem vni-
cum habet, quem suis & Maiorum vestigiis
insistere videt, prosequatur, vt huius salus,
huius indoles ad virtutem propensa, huius
egregii & Regis Filio digni in optimis disci-
plinis & Regiis exercitiis progressus ma-
gnum vtique momentum in REGIS no-
stri stabienda felicitate habeant, pluri-
mumque ad salutem EIVS, ad hilaritatem,
ad tranquillitatem animi, futura prospicien-
tis,

tis, conferant. Hoc proprium est natalis Principium atque Regum, ut non in Gentis suæ aut Familiæ numero & capitibus lætitia consistat, sed ad vniuersos, imperio illorum subiectos, etiam ad Socios & Amicos se transfundat, qui omnes gratulabundi illam lucem excipiunt, quia non ignorant, ex eius prosperitate suas quoque res seruari, & in maius meliusque idem tidem proferri. Si enim priuatorum quisque sui conseruatione gaudet, quum recordatur annos, quos, Deo fortunante, exegerit: & cæli beneficia, sibi a prima ætate tributa, apud animum expendit; quanto magis lætari & triumphare omnes debemus, quum eivs salutem conseruatam cogitamus, a quo infinita vis hominum suam olim salutem emanaturam sperat: & quem iam ad ILLIVS, a quo nostra est prosperitas, felicitatem voluptatemque animi tam ingens pondus adferre, & optimum statum adaugere videt. Et nos quoque, Auditores, sentimus ac videmus, quam necessariae nos rationes officii publice faciendi circumstent atque urgeant, sed hæ communes cum singulis imperio REGIS

A 2

BO-

BORVSSICI demissa reuerentia parentibus: præter quas nobis etiam sunt priuatæ & propiores, quam ceteris, caußæ, cur hunc natalem diem religiosius solemniusque celebremus, quia illi natalem colunt PRINCIPIS IVVENTVTIS & Spei publicæ, quod nec nos negligimus, sed cum illorum studio nostrum quoque promtissimum coniunctum esse volumus: nos autem præter id, quod commune cum aliis est, colimus etiam natalem MAGNIFICENTISSIMI RECTORIS, cuius serenitate hæc Academia illustratur, & splendorem suum, quem a tanta luce accipit, in vltimas terras dispergit, vt vbique in Germania & apud exteroros tanta huius FRIDERICIANAE fama sit & gloria, quanta vix antiquissimarum celeberrimarumque est, quæ circum circa virtutum & doctrinarum sedes numerantur, & Musarum Gratiarumque domicilia. Hoc enim maxime die cogitare nos oportet, quam eximia & incomparabilis sit Serenissimi REGIS & CONDITORIS huius Academiæ clementia, quod in spem Regni & tot populorum genitum PRINCIPEM,

non

non solum quum conderet Academiam, fau-
stissimo omne RECTOREM constituit, sed
in nonum etiam adhuc annum eidem præ-
esse, & splendorem nouis nouisque radiis
augere, auctumque conseruare, benignissi-
me & sine exemplo voluit. Documentum
enim hoc ipsum est singularis amoris atque
benevolentiae, quam seruat REX indulgen-
tissimus erga hanc suam, quam condidit, &
de suo nomine appellauit, FRIDERICIA-
NAM: quam impense se fouere, eiusque com-
modis atque incrementis intentum esse,
nullo signo clarius ostendere, nullo pigno-
re magis confirmare potuit, quam quod di-
lectissimum FILIVM, quo nihil habet ca-
rius, tot annis RECTOREM eidem clemen-
tissime præfecit. Id quod non tantummo-
do gloriosum est huic Academiæ; sed cum
primis etiam percommode & salutare,
quia sic PRINCEPS Serenissimus adsue-
scit cum Musis nostris viuere, & quod a te-
nera ætate consueuit, amorem suum aduer-
sus illas, & beneficiendi studium, perpetuo
est seruaturus: quia quo quis a teneris est
imbutus amore ac consuetudine, eum per o-

B

mnem

mnem ætatem seruat , nec vnquam potest
dediscere , immo nec parui pendere quod a-
mauit , aut minoris aliquando aestimare .
Tantus fructus ex Salute huius PRINCI-
PIS , tantus ex Praefectura Eius Academica
ad nos refertur ! & referetur omnino maior
ampliorque in futurum . Cum annis enim
crescit amor , crescit consuetudo , quam cum
nostris Musis , cum litterarum sacris colen-
dam non modo instituit præclare , verum
etiam adhuc benignissime tenuit atque per
tot annos continuauit . Cognoscitis itaque ,
summi & nobilissimi Auditores , quam sin-
gulares causæ atque rationes sint , cur FRI-
DERICIANAM hunc Natalem solemnissime
sanctissimeque agere ac celebrare deceat :
quod ipsa etiam curæ sibi cordique habet
maxime , in id nunc vnicæ intenta , quibus ri-
tibus , quibus votis atque precibus hunc di-
em tam venerabilem & auspicatum pera-
gat , vt & Serenissimo PRINCIPI atque
RECTORI suo subiectissimum obsequi-
um ac reuerentiam declarare possit , & pro
futuris temporibus fauorem nouum no-
vamque clementiam suo cultuatque studio ,
demis-

demississimisque officiis atque precibus pro-
merci. Id omnino hoc die agendum inter
vota & gratulationes est, sed quo praeunte
id agendum & perficiendum sit, mea sane
interest suspenso atque fluctuante animo
cogitare. Video id munus mihi, Viri am-
plissimi, demandatum atque impositum es-
se, quod etiam pro subiectissima mea erga
tantum PRINCIPEM & Regiam Eius
Domum reuerentia suscepi: sed promptius
suscepi fortassis, & maiore conatu, quam
sustinere ac perferre per ingenii vires & æta-
tis rationem potero. Fulgentissimi enim
PRINCIPIS clarissimus splendor illustrem
etiam & splendidissimam gratulationem po-
stulat, quam a meo ingenio atque ætate ex-
spectare nimium est, & supra quam iudicari
de iuueni homine eiusque decet studiis: ni-
hilominus quod susceptum est, quum recu-
fare iam non liceat, sustineo quantum pos-
sum, & ad exitum perferre maiori forsitan
animo, quam viribus, constituo, singulari cle-
mentia PRINCIPIS, cui gratulaturus sum,
confusus atque fretus, utpote qui ita a Maxi-
mo PARENTE adsuefactus est, ut suorum

-ofbus

B 2

volum-

voluntatem magis & conatus soleat respī-
cere, quam operis, quod offerunt, aut ser-
monis etiam perfectionem. De Vobis au-
tem, Auditores illustres & ornatisimi, mihi
minus est, quod dubitem; minime, quod de-
sperem, quia futurum p̄r̄e video. Vos ve-
stram mihi benevolentiam, quam tot signis
adhuc declarauistis; nunc etiam, quum ma-
xime illam expeto atque exoro, adeo non
negatuos esse, vt potius quidquid defuerit
orationi meae, eadem illa benignitate & ad-
fectione suppleatis: quo quidquid huius offi-
cii est, quod mihi video iam faciendum esse,
possim rite ac faustis formulis atque verbis
optimis perficere atque feliciter etiam fi-
nire.

Qui felicitatem reipublicæ dixerit a BO-
NO PRINCIPE esse, is quod res est, dixisse
& mihi, & vobis omnibus, vt credo, Audi-
tores optimi, videtur. Huius enim virtute,
industria, cura, & moderatione omnia ita
aguntur, dispensantur, & defenduntur, vt
legibus suis vigor consistat, cuncta ex æ-
quo & bono iudicentur, & cuique, quod fu-
um est, attribuatur, &, vt secure possideat,
aucto-

auctoritate ac imperio præstetur. Omnes
fatentur, salutem ciuium a salute esse Prin-
cipis, sed non cuiusuis, verum bene ac mo-
derate rempublicam gubernantis: vt sic ad
bonum Principem respiciatur, quoties de sa-
lute Principum, in ciues deriuanda, sermo-
nes auspicatores, cum votis habentur & fau-
stis acclamationibus. Bonus vero Princeps
munus Dei est, idque in iis, quæ dare Deus
mortalibus solet, omnino summum & ho-
minum societati utilissimum. Non fortu-
na, non sidera, sed propitium numen Dei
est, vnde tanta salus oritur: is est auctor, qui
præclaram indolem dat, vt altius sapient
Principes, nihil humile, nihil sordidum ad-
flectent, sed salutem publicam, & gloriam,
virtute consequendam, cum animo semper
cogitent, & omnibus actibus suis intendant
ac persequantur. Indolem iuuare debet re-
cta educatio, quam nisi Deus fortunauerit,
nihil humanis consiliis atque industria pro-
ficitur, quia hæc ipsa, si recta sint & salubria,
Deo auspice instituta sint, & ad illius volun-
tatem directa & accommodata. Si faciunt
homines, quod suum est, sed Deo auctore

C

atque

atque auspice ; etiam euentus , secundante
Deo, prosper atque felix sequitur. Id vt in
rebus omnibus, quas suscipiunt homines, se
ita habet : ita cum primis in PRINCIPVM
educatione luculentissime licet obseruare.
Hæc enim diuinis si auspiciis instituitur, & ad
rectum honestumque consilia conferuntur,
non potest illa non frugifera , ac reipublicæ
salutaris esse : quæ omnia contrario se mo-
do habent, si ad luxum & res vanas atque lu-
dicas tenella pectora, quod ita ducuntur a
suis, etiam adfluefiunt. Singularis Dei opti-
mi maximi beneficentia est , quod nutu suo
Serenissimæ DOMVI BRANDEN-
BURGICAE ita adfuit , vt, quo usque an-
nales reuolui possunt, semper PRINCIPES
pios, fortes, magnanimos, & virtutum de-
fensores ea protulerit , quod vtique a cælesti
indole, quam Deus indidit, habuerunt, quæ
educationis sollertia industria que ad illud ex-
citata fuit , quod Orbis terrarum in Bran-
denburgicis Heroibus admiratus est, & ho-
dieque omnes virtutis æstimatores verique
censores admirantur. Non longius nobis
recurrentum est per tempora , vt exem-
plum

plum inde petamus ; Serenissimus ac Potentissimus REX BORVSSIAE, DOMINVS noster longe clementissimus, exemplo illustrissimo est, quo lucidissime demonstratur, quantum HEROICA INDOLES, subfaustis enutrita penetralibus, ad virtutem & animi magnitudinem valeat, qua mens divina a teneris imbuta, vnice ad illam, quæ ex virtute & præclare factis est, immortalē gloriam & nominis æternitatem adspicravit. Ad quod maximum & incomparabile exemplum quum Serenisimi IVVENTVTIS PRINCIPIS, ipso prouidentissimo PATRE iubente, nunc omnis cura & educatio referatur; primum est intelligere, quantum Principem, ex felicissima stirpe ortum, & ad virtutis gloriam suorumque salutem diligentissime institutum, sperare omnes possumus, immo de illo confidere. Recte nobis auguria addicunt ; quod faustum est, signa omnia promittunt ; & dum se protulit ingenium, dignum tantis Maioribus, respondens suæ origini, quæ a caelo est, ad honesta, ad præclara omnia contendens, vt PATREM REGEM, AVVM

C 2

HE-

HEROEM , aliquando humano generi re-
ferat. Adfuit Deus formantium industriæ,
& in iis artibus ac disciplinis , quæ dignæ
Principe, dignæ Rege sunt,tam eximios ad-
huc progressus fecit, ut PRINCIPEM nu-
meris omnibus perfectum , & glorioſis Ma-
ioribus, Augusto in primis PARENTI si-
millimum , propediem habituri simus. Insti-
tutionem enim exempla iuvant, quæ Seren-
issimus hic PRINCEPS noster quoti-
die quidem vetera, noua ex præclaris litteris
discit,qua via ad virtutem grassati Reges fu-
erint , quantas res magni Duceſ gesserint,
quantaque illorum sit gloria in posteritate:
atque ſic ſemper præparati futuri Duceſ at-
que Reges fuerint. Idem vero PRIN-
CEPS Serenissimus in eo felix eſt, quod
in DOMO ſua ſi non maiora , tamen æque
magna atque clara exempla habet,quæ imi-
tetur , quæ efficaciora tanto ſunt , quanto
propius contingunt generofum EIVS san-
guinem. Eſt enim ita natura comparatum,
ut quæ generis propinquitate nos attin-
gunt, magis nos ſtimulent concitentque ad
ſequendum, quam aliena, peregrina, & lon-
gius

gius petita: quia nostros natura amamus, &
ad imitandum æmulandumque proponi-
mus, quod quoties vel præsentes intuemur,
vel illorum adspicimus imagines, aut eo-
rum res gestas recordamur; vim in animum
nostrum & aculeum quasi infigunt, qui ex-
citet atque impellat ad maxima quæque, il-
lorum more, adgredienda, quod eo prom-
tius ab adolescente fit, quo instinctus, quem
natura dat, est in illo vehementior. Vim
enim habet fortissimam, quum Pater Aene-
as, & Auus ac Auunculus maior, vterque
Hector, iuniorem Principem, excitat. Ar-
descere sane oportet iuuenilem animum, &
cupiditate flammante incendi, quum tantos
Duces, tantos in Maioribus suis Heroes in-
tuetur: ut fieri aliter non poscit, quin illo-
rum gloria ad virtutis æmulationem inci-
tatus, naturæ quadam illecebra, quæ in san-
guine est, rapiatur, ut acriore cursu conten-
dat, quo illos imitari poscit, & ad eamdem
gloriam virtute pari, & meritis æque ma-
gnis ac illustribus se proferre. Magna &
valida ab EXEMPLIS incitamenta sunt: sed
tamen sunt alia maiora, quæ fortius promo-

D vent,

vent, acutius instigant, si in indolem excelsam, & properksam in virtutes, incidunt. Nam quosdam Deus etiam in magna fortuna & rebus lautioribus collocavit, qui vero, quod sordido sunt ingenio, tanta bona nec intelligunt, neque aestimant, sed ut in virtutibus prouinciarum bona numerant; ipsi, qua iuvat, eunt, ne si his quoque legibus adstricti sint, precario regnare & minus imperare videantur. Cum his nobis iam non agendum est, quum PRINCIPEM praestantiore indole habeamus, quam ut ad sordes eiusmodi respiccat. Magna, sublimia, & gloria esse oportet, quae excellsum ILLVS animum adficiant, ut in iis curam suam & studium & omnem exercitationem, remissiones etiam laxati animi, quae magnis quoque mentibus concessae sunt, ponat atque constituat. Hunc, qua alii abutuntur, ad virtutem & gloriam instigat magna fortuna atque gloria, quae quot incrementa capit, Deo sic benignissime largiente; tot nouos inde PRINCEPS stimulos ad maiorem

vir-

virtutem adsequendam in se excipit. AVITTA gloria, PATERNA felicitas semper ipsi insigni hortamento erant, vt ad virtutem contenderet, & quam ob oculos proposita videbat gloriam, imitamentis suis feli citer adsequeretur. Postquam vero proprie tio caelo adnuente, nouum & maximum decus, DIADEMA & REGIVM NOMEN, in Do mum eius inlatum fuit; incredibile dictu est, quo maiore animo, feruentioreque studio ac cupiditate in virtutis cursu progressus maximos fecerit, vt quod Regium est, hoc est summum & celsissimum, Deo duce, for tunia comite, obtineret, & ubique se talem præstaret, qui virtute & maximis meritis sit dignissimus, vt & ipse aliquando Regio ornatu & Diademate condecoretur. Satis hoc incitamenti erat, virtutum Regiarum studio ad summum fastigium peruechendo: non autem satis fuit caelesti prouidentiae, quæ plures stimulos in animum huius IV VENTVTIS PRINCIPIS iniecit, vt acerrime, quem ingressus est, cursum virtutis Regiae persequeretur. Notissimum omnibus est, quantum ius Is nuper possidendi no-

vas & splendidas prouincias ex hereditate
REGIS Britannorum gloriosissimi acce-
perit, quæ sane nouis & acrioribus stimulis
iuuenilem animum concitant, quam vel a-
liarum regionum possessiones possint.
Præcipua illarum supremus Arausiensis
Principatus est, quod splendidissimum no-
men quum cogitat, quanto aculeo percelli-
EVM putatis Auditores, quia illud memo-
riam tot clarissimorum Heroum, WILHEL-
MORVM, MAVRICIORVM, FRIDERICO-
HENRICORVM, in memoriam reuocat, &
in animum ita inducit, vt ille non possit vir-
tutum cogitatione, quas Orbis in ARAVSI-
ENSIBVS miratur & stupescit, non maximo
ardore inflammari, vt hos etiam inuictos
Duces & gloriosos Heroes, quamprimum
ætas permiserit, bellicis operibus, aliisque
summis virtutibus æmuletur. Hi enim fue-
runt, qui Hispaniæ Regum potentiam fre-
gere, qui Foederatis Belgarum Prouinciis
libertatem restituerunt, conseruarunt, &
consiliis suis illarum opes ad tantum robur
& magnitudinem perduxerunt, vt nunc flo-
rentissima & potentissima sit illa Foedera-
torum

torum Belgarum respublica. Qui primum
VVILHELMVM intuetur, auspicem &
auctorem vindicandæ libertatis, tantam in
eo animi magnitudinem videt, vt nec in ve-
tustis annalibus facile inueniat, quem cum
illo comparare possit. Attenuatae res Bel-
garum erant, prouinciae omnes adflictissi-
mæ, exhaustæ ciuitates Hispanorum tyran-
nide, optimo quoque vel interemto, vel in
vincula coniecto, vel expulso patria, aut vl-
tro fugiente, vt immanem crudelitatem e-
vaderet. Plenum exsiliis mare, plenæ busitis
& patibulis vrbes, & tam tristis vbique faci-
es, vt qui viderant, quid summum in liber-
tate esset, iam sentirent, quid vltimum in ser-
vitute. Secundis rebus bene sperare humili-
um etiam & vilissimorum est: at oppres-
sa libertate, reptis bonis omnibus, supplicio
adfectis fortioribus, non desperare, sed contra
fortunam spei insistere, & eius instinctu
non adgredi modo rem arduam & summe
periculosam, sed persequi etiam, & de euen-
tu non solum sperare bene, sed confidere et
iam, virtute vires & victoriam promitten-
te; hoc, inquam, qui facit, is non modo cum

E

maxi-

maximis Regibus est comparandus, sed summis etiam, quos antiquitas venerata fuit, anterendus est Heroibus. Tantæ virtutis, tantæ magnanimitatis exemplum WILHELMVS primus Arausionensis præbet. Quantum vero putatis, Auditores, WILHELMVM in hac gente ultimum, Britannorum nuper Regem, singulare & incomparabile omnium maximarum virtutum & rerum gestarum reliquissimum imitamentum? Hic apicem auitæ gloriae imposuit, dum virtute meruit & rerum gestarum gloria, ut Britanni ipsum sibi REGEM expeterent, ac trium regnorum fulgentissimis coronis, tamquam dignissimum omnium, condecorarent. Quoquo ergo Serenissimus noster IVVENTVTIS PRINCEPS oculos convertit, & animum intendit, cogitatque veteres, nouos regionum titulos atque honores, vnde exstimulatur adimitandos eos, qui hos titulos acquisierunt: quod dum faciet, vti facit, & pergit facere; ad illorum etiam gloriam, qua immortalis est, certissime perueniet; vt adeo nihil desit, quod quocumque modo præclaram indolem ad virtutes,

tutes, ad laudem, ad gloriam, suamque &
republicæ felicitatem poscit perducere. Ad-
sunt omnia, ex quibus spes magna poscit con-
cipi: adsunt specimina & tirocinia egregia,
quæ comprobant, non frustra detanta indo-
le adhuc omnes sperasse quod summum est:
adsunt quoque quæ spem nostram in futura
tempora non producant modo, sed confir-
ment etiam, & certissimam reddant, tot do-
mestica, eaque illustrissima exempla, quæ
sponte currenti calcar addunt, ut perget e-
orum virtutem æmulari; nec nominis tan-
tum ac titulorum & amplissimarum regio-
num, sed, quod est maximum, nec sine imi-
tatione & propria virtute fieri potest, gloriæ
quoque heres ex aſſe fieri. Hinc quanta
ſit ſpes noſtra, quanta fiducia nitamur, cla-
riflame omnibus elucet: nec quisquam ne-
gat, propicio fato contigisse, ut PRINCI-
PEM IVVENTVTIS, in quo ſpes pu-
blica recumbat, habeamus eum, qui ut inge-
nio Maioribus par, ita virtutibus quoque
PARENTVM Serenissimorum cura &
ſollertia omnino reddatur simillimus. In-
gens munus est cælestis prouidentiæ, libe-
ratorum

ros habere, qui ducentium manum atque
nutum subsequantur, & in virtutis via ma-
gis magisque in dies promoueant. Hi enim
sunt, quorum profectu parentes lætentur:
hi, in quibus & spem figant suam, & rerum
suarum atque familiæ commoda stabiliant:
hi quoque, a quibus solatium senectutis pe-
tant, si protrahere ipsis vitam benigniore
fato contigerit. Quodsi priuatis libero-
rum indoles ad virtutem adsuefacta tantam
lætitiam adfert ac solatium, quod vero non
suis curis ac industria, sed Deo fortunanti
acceptum ferunt: quanto maius cæli munus
erit, PRINCIP EM ita natum, ita forma-
tum & eductum habere, vt non solum bene
sperare, sed confidere etiam possint ciues,
illius virtute fore, vt salus publica, vt tem-
porum felicitas, qua, moderante REGE
Sapientissimo, ad hanc vsque diem fruimur,
non sit temporaria, sed ad posteros etiam
proferatur, atque ita vere fiat perpetua. In-
telligitis nunc, Auditores splendidissimi,
quantum Deo debeamus, a quo tam eximi-
um bonum & cælestè munus accepimus;
reminisci etiam nos omnes decet, quæ supe-
riori

riori anno a Deo immortali precati sumus,
quæ conceptis votis optauimus, sperauim-
usque futura, si Deus propitio numine
nobis adfuerit: hæc, inquam, si recordamur
& ad mentem reuocamus, nos votorum re-
os esse ipsa salute PRINCIPIS & publica
felicitate conuincimur. Quare æquum, iu-
stum ac necessarium nobis est, vt, quæ vo-
vimus solemni ritu, quibusque rebus nos
obstrinximus, easdem etiam soluamus; post-
quam quæ optauimus, feliciter, vt videtis,
confecuti sumus. Deo itaque, a quo ha-
bemus, quod precati eramus, immortales
agamus gratias, quod florentissimum IV-
VENTVTIS PRINCIPEM ad delici-
um Maximorum PARENTVM, ad pa-
triæ vniuersæ, id est Regni & Prouinciarum
securitatem atque salutem, ad firmandam
spem publicam, ad huius etiam FRIDERICI-
ANAE Academiæ tutelam & solatium, pro
æterna sua benignitate, non modo saluum
atque incolumem præstiterit, sed studiis quo-
que IPSIVS, quibus ad summa omnia con-
tendit, in maius & altius prouehendis ita ad-
fuerit, vt talem aliquando futurum esse, qua-

F

lem

foliis

lem sperauimus, omnino simus certissimi.
Videmus inde, diuinæ clementiæ infinitam
abundantiam, qua semper Serenissimam
DOMVM BRANDENBURGICAM & fouit, &
mirifice ornauit, cuius ex PRINCIPIS,
quem colimus, salute, luculentissimum ar-
gumentum habemus, dum supra innume-
rabilia dona atque munera, quæ per singu-
los adhuc annos Deus largitus est, etiam v-
nicum hunc PRINCIPEM, in quem spes
patriæ reclinat, saluum & incoludem serua-
vit. Videmus etiam exinde, non infructuo-
sa nostra preces esse, non irrita, quæ vota
nuncupamus. Id quod spem nobis facit in-
fallibilem, quæ hoc solemní die precaturi
sumus pro salute PRINCIPIS IVVEN-
TVTIS, grata quoque Deo fore, ut votis
nostris, quæ pro futuro tempore concipie-
mus, perinde adnuat benevolentia sua, ut
adhuc cuncta, quæ precati sumus, benignis-
sime audiit, atque etiam dedit.

Vides sic, PRINCEPS Serenissime,
quam carus Deo, quam dilectus omnibus
Paterno imperio subiectis sis, qui pro Tua
non minus salute Deo supplicant, quam pro
poten-

potentissimi PARENTIS, REGIS sui ac
DOMINI, felicitate: ad quam salus **TVA**
quantum momenti adferat, nemo est qui i-
gnoret. Etenim habet ille in Te, quod mi-
rifice ipsum exhilaret atque delectet, quod
vtique felicitatem **EIVS** non adiuuat mo-
do, sed in solido etiam constituit atque con-
firmat. Anniuersarius hic dies est, quo vo-
ta soluimus, vota nuncupamus pro salute
TVA: soluimus Deo pro data & præsenti:
nuncupamus pro sperata, quæ non minus
certa nobis est per cælestis benignitatis rati-
ones, quam est illa diuinitus data, & quam
hæc præsens est, qua omnes mirum in mo-
dum hodie lætamur. Ad quintum deci-
mum Deus TE perduxit annum, & ita du-
xit incredibili clementia sua & bonitate, ut
saluus nunc & in columnis hunc notum nata-
lem agas, & priorum temporum profectu
nouam spem maiorum per annos singulos
facias, dum par **MAIORIBVS TVIS** glorio-
sis, & in primis felicissimo PARENTI, vir-
tutum meritis, & quæ has sequitur, gloria
immortali efficiaris. Gratulamur ergo o-
mnes **TIBI, PRINCEPS Serenissime, ac**

Gratulamur **TIBI, PRINCEPS Serenissime, ac**

idem-

idemtidem gratulamur, qui eo loco natus
es, vt ad omnia summa Te origo ducat: ea
cura educatus es, vt bene de TE omnes spe-
rent, immo confidant Tuit eos in virtute ac
sapientia progressus facis, vt non iam spe-
rent, sed præsumant ex Te, quidquid perfe-
ctissimum Principem ornat, & humano ge-
nери, cuius præsidio & tutelæ datus es, com-
mendat. Salue ergo, PRINCEPS floren-
tissime, & lætare felicitate TVA, lætare Tuo-
rum gloria virtutibus summis parta: & ad
parem, aut maiorem, si quid maius esse pot-
est, consequendam, perge via, quam ingres-
sus es, qua longe iam es progressus; vt pul-
cherrimum florem, quem in Te omnes mi-
rantur, breui post pulcherrimi fructus se-
quantur, ad rem publicam, ad patriæ salu-
tem, in adiumentum potentissimi PATRIS
adferendi. Deus Te seruet, PRINCEPS, ac
studiis TVIS & coeptis omnibus ita adnuat,
vt circumacto anno maiores ei gratias, vo-
ta soluturi, agamus, Tibique de conseruata
salute, de incremento virtutis, de felicitatis
accessionibus deuote ac demisse gratule-
mur, isque NATALIS TVVS quotannis
lætior feliciorque TIBI & TVIS recurrat.

gb 1633.

4°

ULB Halle
001 611 763

SL





ORATIO PANEGRICA, QVA SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO

FRIEDE RICO WILHELMO,

REGNI BORVSSIAE HEREDI,
MARCHIONI BRANENBVRGICO , ITI-
DEMQUE,QVI EIVS GENTIS EST, ELECTORATVS, ET SV-
PREMI ARAVSIENSIS PRINCIPATVS HEREDI, DVCI MAGDE-
BVRGI, CLIVIAE, IVLACI, MONTIVM, STETINI, POMERANIAE,
CASSVBIORVM, VINIDORVM, ET IN SILESIA CROSNAE, BVRG-
GRAVIO NORIMBERGENSI, PRINCIPI HALBERSTADI, MINDAE,
CAMINI, COMITI HOHENZOLLERAE, MARCAE, RAVENSBER-
GAE, LINGAE, MEVRSAE, BVRAE ET LEERDAMI, MAR-
CHIONI VEERAЕ ET VLISSINGAE, DYNASTAE IN
RAVENSTEIN,LAVENBVRG, BVTOW, ARLAY
ET PREDA GETERA

ET BREDA, CETERA,
PRINCIPI IUVENTUTIS,
ACADEMIAE FRIDERICIANAE
RECTORI MAGNIFICENTISSIMO,
ET CLEMENTISSIMO DOMINO,
PUBLICO EIVSDEM ACADEMIAE NOMINE

DE NATALI XV
FELICI SIDERE XV AVGVSTI CICICCCII
EXORTO,
SVBIECTISSIMA DEMISSISSIMAQUE DEVOTIO
GRATVLATVS EST

GRATULATVS EST
IOHANNES CASPAR KÖNIGK.
ZEHDENICENSIS MARCHICVS.



Typis CHRISTOPH. ANDREAE ZEITLERI, ACAD. TYPOGR.